



DE CONSECRATIONE ELECTI IN EPISCOPUM.

Nemo consecrari debet, nisi prius constet Consecratori de commissione consecrandi, sive per litteras Apostolicas, si sit extra curiam, sive per commissionem vivæ vocis oraculo, a Summo Pontifice Consecratori factam, si Consecrator ipse sit Cardinalis.

Statuta die Consecrationis, quæ debet esse Dominica, vel Natalitium Apostolorum, vel etiam festiva, si Summus Pontifex hoc specialiter indulerit: et tam Consecrator, quam Electus conveniens est, ut præcedenti die jejurent.

Consecratio, si extra curiam Romanam fiat, in Ecclesia, ad quam promoti fuerint, aut in provincia, si commode fieri poterit, celebretur.

In Ecclesia, ubi fiet consecratio, ornantur duæ capellæ, major pro Consecrante, et minor pro Electo. Et in majori quidem, super altari parato, ut est moris, erit crux in medio, et ad minus quatuor candelabra. In terra ad gradus altaris erunt tapetia strata, super quibus procumbit Electus, sed Consecrator, et alii genuflectent.

Paratur etiam in loco propinquo et congruo credentia pro Consecratore, super quam erit mappa munda; duo candelabra; vasa ad abluendum manus, cum suis mantilibus; vas cum aqua benedicta, et aspersorio; thuribulum cum navicella, cochleari, et incenso, si Officium fit in cantu, alias non; ampullæ cum vino, et aqua pro sacrificio; Calix, hostiaria cum hostiis; medulla panis pro abstergendis manibus; sanctum Chrisma.

Item paramenta omnia Pontificalia, coloris temporis et officio Missæ convenientis, videlicet, sandalia, amictu, alba, cingulum, crux pectoralis, stola, tunica, dalmatica, chirothecæ, planeta, mitra auriphrygiata, annulus Pontificalis, baculus Pastoralis, manipulus et gremiale.

Item paratur faldistorium ornatum pro Consecratore; et tres sedes pro Electo, et duobus Episcopis assistentibus; Missale et Pontificale. Consecrator habeat tres Capellanos ad minus, cum superpelliceis, et duos scutiferos ad credentiam.

In capella vero minore pro Electo, quæ a majore debet esse distincta, paratur altare cum cruce, et duobus candelabris, et super illud Missale, et Pontificale; ac paramenta omnia Pontificalia albi coloris, ut supra pro Consecratore numerata sunt; et ultra illa, pluviale album, et prope altare credentia minor cum mappa munda, et vasis ad abluendum manus, et medulla panis ad extergendum manus, et caput.

Ponuntur etiam octo mappulæ ex duabus cannis panni linei subtilis, per medium scissis in longitudinem, quarum duæ sint longitudinis sex palmorum quælibet, aliæ vero sex æqualis sint quantitatis. Et candelæ saltem octo, unius libræ quælibet, quarum quatuor super altare Consecrantis, duæ super ejus credentiam, et duæ super altare Electi ponuntur.

Annulus cum gemma benedicendus, et Electo tradendus, pecten eburneus. Et pro Offertorio intortitia duo, quatuor librarum quodlibet, duo panes magni, et duo barilia vini; panes et barilia ormentur, duo, videlicet, videantur argentea, et duo aurea, hinc et inde insignia Consecratoris, et Electi habentia, cum capello, vel cruce, vel mitra pro cujusque gradu et dignitate.

Adsint duo ad minus Episcopi assistentes, qui induuntur rochetto, et si sint Regulares, superpelliceo, amictu, stola, pluviali, quæ cum reliquis paramentis sint coloris temporis et officio Missæ congruentis, et mitra simplici alba, et quisque habeat suum Pontificale.

Hora igitur competenti Consecrator, Electus, assistentes Episcopi, et alii, qui consecrationi interesse debent, ad Ecclesiam conveniunt, et Consecrator, facta oratione ante altare, ascendit ad sedem, si sit in Ecclesia sua; vel accedit ad faldistorium in capella sua, juxta cornu Epistolæ præparatum, et ibi de more paratur. Electus vero cum assistentibus Episcopis vadit ad capellam suam, et ibi capit paramenta opportuna, videlicet, si Missa cantatur, amictum, albam, cingulum, stolam in modum Sacerdotis, et pluviale. Si vero Officium legitur, poterit, antequam dicta paramenta accipiat, capere sandalia et legere Psalm. **Quam dilècta, etc.** Assistentes etiam Episcopi interim sua paramenta prædicta capiunt. Omnibus itaque paratis, Consecrator accedit ante altare, et ibi in medio sedet super faldistorium, vertens renes altari. Electus vero cum suo bireto ducitur sic paratus, medius inter assistentes sibi Episcopos paratos, et mitratos, et cum ante Consecratorem pervenerit, nudato capite, illud profunde inclinando, ei reverentiam facit, assistentes vero Episcopi eidem cum mitra caput aliquantulum inclinant.

Tum sedent in sedibus suis, ante Consecratorem, hoc modo: Electus contra faciem Consecratoris, ita ut inter eos sit competens distantia. Antiquior Episcopus assistens ad dexteram Electi, junior ad sinistram; ita tamen, quod ipsi Assistentes ad alterutrum facies vertant. Cum sic locati fuerint, et aliquantulum quieverint, surgunt, Electus sine bireto, et assistentes Episcopi sine mitris, et senior Assistentium versus ad Consecratorem dicit:

Reuerendissime Pater, póstulat sancta mater Ecclèsia Cathòlica, ut hunc præsentem Presbýterum ad onus Episcopátus sublevétis.

Consecrator dicit: **Habétis mandátum Apostólicum?**

Respondet Episcopus senior Assistentium: **Habémus.**

Consecrator dicit: **Legátur.**

Tum Notarius Consecratoris accipiens mandatum de manu Episcopi assistentis, legit a principio ad finem. Interim sedent omnes, tectis capitibus. Mandato per Notarium perlecto, Consecrator dicit:

Deo grátias.

Vel, si consecratio fit vigore litterarum Apostolicarum, per quas etiam juramenti per Electum præstandi receptio Consecratori committitur, litteris ipsis lectis, antequam Consecrator aliud dicat, Electus de sede sua veniens coram Consecratore genuflectit; et legit juramentum de verbo ad verbum, juxta tenorem commissionis prædictæ præstandum, in hunc modum, videlicet:

Forma juramenti.

Ego **N.** Eléctus Ecclésiæ **N.** ab hac hora in ántea fidélis, et obédiens ero beáto Petro Apóstolo, sanctæque Románæ Ecclésiæ, et Dómino nostro, Dómino **N.** Papæ **N.** suisque successoribus canónice intrántibus. Non ero in consílio, aut consénsu, vel facto, ut vitam perdant, aut membrum, seu capiántur mala captióne, aut in eos violénter manus quomodólibet ingerántur, vel injúriæ áliquæ inferántur, quovis quæsito colóre. Consílium vero, quod mihi creditúri sunt, per se, aut Núntios suos, seu líttas, ad eórum damnum, me sciénte, némini pandam. Papátum Románum, et Regália sancti Petri adjútor eis ero ad retinéndum, et defendéndum, salvo meo órdine, contra omnem hóminem. Legátum Apostólicæ Sedis ineúndo, et redeúndo honorífice tractábo, et in suis necessitátibus adjuvábo. Jura, honóres, privilégia, et auctoritátem sanctæ Románæ Ecclésiæ, Dómini nostri Papæ et successorum prædictórum, conserváre, deféndere, augére, et promovére curábo. Neque ero in consílio, vel facto, seu tractátu, in quibus contra ipsum Dóminum nostrum, vel eámdem Románam Ecclésiám, áliqua sinistra, vel præjudiciália personárum, juris, honóris, status, et potestátis eórum machinéntur. Et, si tália a quibuscúmque tractári, vel procurári nóvero, impédiám hoc pro posse: et quanto cítius pótero, significábo eidem Dómino nostro, vel álteri, per quem possit ad ipsíus notítiam perveníre. Régulas sanctórum Patrum, decréta, ordinatiónes, seu dispositiónes, reservatiónes, provisiónes, et mandáta Apostólicá, totis víribus observábo, et faciám ab áliis observári. Hæréticos, schismáticos, et rebélles eidem Dómino nostro, vel successoribus prædictis, pro posse pèrsequar, et impugnábo. Vocátus ad sýnodum, véniam, nisi præpeditus fúero canónica præpeditiõe. Apostolorum límina síngulis triénniis personáliter per me ipsum visitábo; et Dómino nostro, ac successoribus præfátis, ratióne reddam de toto meo pastoráli officio, ac de rebus ómnibus ad meæ Ecclésiæ statum, ad cleri et pópuli disciplínam, animárum dénique, quæ meæ fidei tráditæ sunt, salútem quovis modo pertinéntibus: et vicíssim mandáta Apostólicá humíliter recípiam, et quam diligentíssime éxsequar. Quod si legítimo impediméto deténtus fúero, præfáta ómnia adimplébo per certum Núntium ad hoc speciále mandátum habéntem, de grémio mei Capítuli, aut álium in dignitáte ecclesiástica constitútum, seu álias personátum habéntem: aut, his mihi deficientibus, per diocesanum sacerdotem;

et clero deficiénte omnino, per áliquem álium presbýterum sæculárem, vel regulárem, spectátæ probitátis, et religiósus, de supradíctis ómnibus plene instrúctum. De hujúsmodi autem impediméto docébo per legítimas probatiónes ad sanctæ Románæ Ecclésiæ Cardinálem Proponéntem in Congregatiõe sacri Concílii, per supradíctum Núntium transmittédas.

Possessiões vero ad mensam meam pertinétes non vendam, nec donábo, neque impignorábo, nec de novo infeudábo, vel áliquo modo alienábo, étiam cum consénsu Capítuli Ecclésiæ meæ, inconsúlto Románo Pontífice. Et si ad áliquam alienatióne devénero, pœnas in quadam super hoc édita constitutiõe conténtas, eo ipso incúrrere volo.

Consecrator in gremio suo librum Evangeliorum ambabus manibus apertum tenens, inferiore parte libri Electo versa, ab eo præstationem hujusmodi juramenti recipit, Electo adhuc coram eo genuflexo dicente:

Sic me Deus ádjuvet, et hæc sancta Dei Evangélia.

Et ipsam textum Evangeliorum ambabus manibus tangente, tum, non prius, dicit Consecrator: **Deo grátias.**

Ad hoc tempus singulorum trienniorum tenentur omnes Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, atque Episcopi Itali, videlicet, vel ex Italicis insulis, unde in Italiam commodius trajici potest; veluti Siculi, Sardi, Corsi, et alii adjacentium provinciarum Italiæ, atque etiam Dalmatiæ et Græcarum, quæ e regione ipsius Italiæ, et Siciliæ oris sunt.

Ad tempus singulorum quadrienniorum, Germani, Galli, Hispani, Belgæ, Bohemi, Hungari, Poloni, Angli, Scoti, Iberni, et ceteri omnes, qui in Europa sunt citra mare Germanicum, et Balticum, atque omnium Insularum maris Mediterranei.

Ad tempus singulorum quinquenniorum, qui intra Europæ fines sunt his provinciis remotiores, atque etiam Africani littoribus nostris adversi, atque insularum maris Oceani, Septentrionalis, et Occidentalis Europæ, atque Africæ, citra continentem novi orbis, tam qui nunc sunt, quam qui ad Catholicam fidem per misericordiam Dei aliquando redierint.

Ad tempus singulorum decenniorum Asiatici, et qui extra Asiam, et in aliis novis terris Orientalibus, Meridionalibus, Occidentalibus, et Septentrionalibus, tam in Insulis, quam in Continentibus, et denique in quibuslibet mundi partibus existentes.

Deinde Electo, et Assistentibus in locis suis (ut dictum est) sedentibus, Consecrator intelligibili voce legit sequentem examinationem, quæ legi debet semper, sicut jacet, in singulari, etiam si plures simul examinentur. Assistentes vero Episcopi submissa voce dicunt quæcumque dixerit Consecrator, et omnes debent tunc mitras tenere, et sedere.

Examen.

Antiqua sanctórum Patrum institútiõe docet, et præcipit, ut is qui ad Episcopátus órdinem eligitur, ántea diligentíssime examinétur cum omni caritáte, de fide sanctæ Trinitátis: et interrogétur de divérsis causis, et móribus, quæ huic regímini cóngruunt, ac necessariá sunt retinéri secúndum Apóstoli dictum: Manus némini cito imposúeris. Et ut étiam is, qui ordinándus est, erudiátur, quæ-